



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Svtrinvm, Qvo Benedictvs Psevdopapa Et schismaticus,
cognomento Mincius, depositus, omnique sacerdotali officio priuatus est,
anno MLIX. tempore Nicolai papae II. electi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

Datum Florentiæ sexto Idus Ianuarii, anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi 1059. per manus Humberti sanctæ ecclesiæ Siluæ candidæ episcopi, & apostolicæ sedis bibliothecarii, anno primo pontificatus domini papæ Nicolai II. indictione decimatertia.

EPISTOLA V.

NICOLAI PAPÆ II.

AD EDVWARDVM ANGLORVM REGEM.

De confirmatione priuilegiorum ecclesiæ Vvestmonasteriensis, quam in honorem sancti Petri apostoli rex fundauerat.

Extat infra in Conuentu Vvestmonasteriensi anno 1066.

• CONCILIVM SVTRINVM,
QVO BENEDICTVS PSEVDOPAPA ET
schismaticus, cognomento Mincius, depositus, omni-
que sacerdotali officio priuatus est, anno MLIX. tem-
pore Nicolai papæ II. electi.

ANNO
CHRISTI
1019.

NOTA.

• *Concilium.*] In hac Synodo inuaforem sedis apostolicæ Benedictum depositum, omniq; sacerdotali munere priuatum esse, & postea veniam a pontifice petiuisse, habetur, inquit Baronius in codice Vaticano, qui inscribitur *Liber censuum*. Idem testatur vetera Romanorum pontificum gesta, quæ collegit Nicolaus Aragonensis cardinalis his verbis: *Celebrata itaque in pace electione (vt dictum est) Senis dictus Nicolaus pontifex cum archidiacono & cardinalibus consilium habuit, vt pro causa iam dicti Velitrensis intrusi apud Sutrium Synodum celebraret: ad quam non solum episcopos Tusciæ & Lombardiæ, sed & magnum Codefridum, & Guibertum cancellarium conuocare deberet. Quod absque dilatione factum est. Predictus autem Mincius vbi Nicolaum papam cum personis, quæ apud Sutrium conuenerant, in Synodo re-sidere cognouit, sedem quam inuaserat, conscientia remordente, reliquit, & in domum propriam remeauit. Quod factum posteaquam Nicolaus pontifex rei veritate cognouit, consilio cum fratribus habito, ad Urbem vna cum eis, non cum potentia, sed tamquam bonus & humilis pastor accessit. Vnde, auctore Domino factum est, quod cum a populo & clero digno honore susceptus, iuxta consuetum ordinem a cardinalibus in sede apostolica positus est. Transactis autem paucis diebus, memoratus Mincius ad pra-*

ANNO
CHRISTI
1059.

*sentiam Nicolai papa veniam petiturus accessit, & ad eius vestigium pro-
cidens violentiam se fuisse perpeffum asseruit, sed inuasionis crimen & per-
iurii reatum non negauit. Ex propria igitur confessione digna factis reci-
piens, episcopalis & sacerdotalis officii depositionem incurrere meruit. Illud
autem ipsius pontificis animum vehementer angebat, quod Romanorum
pontificum capitanei Vrbs dominium, & ecclesiastica iura, quæ illicite oc-
cuparant, per violentiam detinebant. Hæc ibi. Quæ acta esse in Conci-
lio ab eodem pontifice celebrato dubium non est.*

CONCILIVM ROMANVM
CENTVM ET TREDECIM EPISCOPORVM,
quo Berengarius hæresi sua tertium abiurata fidem ca-
tholicam tertio professus est, & de electione Romani
pontificis constitutio edita fuit, anno Domini MLIX.
tempore Nicolai papæ II.

*Nicolaus episcopus seruus seruorum Dei omnibus episcopis catho-
licis cunctoque clero & populo salutem carissimam
& apostolicam benedictionem.*

VIGILANTIA vniuersalis regiminis assiduam sollicitu-
dinem omnibus debentes, saluti quoque vestræ pro-
uidentes, quæ in Romana Synodo nuper celebrata, co-
ram centum tredecim episcopis, nobis licet immeritis
præsidentibus, sunt canonice constituta, vobis notifica-
re curamus, quia ad salutem vestram executores eorum
vos esse optamus, & apostolica auctoritate iubendo
mandamus.

I.

Primo namque, inspectore Deo, est statutum, vt ele-
ctio Romani pontificis in potestate cardinalium episco-
porum sit; ita vt si quis apostolicæ sedi sine præmissa con-
cordi & canonica electione eorum, ac deinde sequen-
tium ordinum religiosorum, clericorum & laicorum con-
sensu, inthronizatur, is non papa vel apostolicus, sed apo-
staticus habeatur.

Cardinales
episcopi.

II.

Vt moriente Romano pontifice, vel cuiuscumque ci-
uitatis, nullus præsumat facultates eorum inuadere, sed
successoribus eorum reseruentur integræ.

Concil. Tom. 25.

Eccc ij